

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen Luisen-  
Gymnasiums zu Berlin. Ostern 1890.

---

De aliquot libris Diodori Siculi  
manu scriptis

disseruit

**Dr. Georg Schneider,**  
Oberlehrer.



---

BERLIN 1890.

Druck von W. Pormetter.

1890. Programm No. 64.

qbe  
31 (1890)

72, 246





Nostra aetate quis est, qui irrita spe teneatur codices adhuc inexploratos vel integros obscuritate bibliothecarum involutos latere, forte fortuna aliquando in lucem prodituros? quis, qui haud sciat ex iis, quos iam dudum viri docti notos et tractatos habent, novas et magni momenti lectiones non elici posse nisi perpauca? Immo vero, si quis in id studium incubuerit, periculum est, ne oleum et operam perdat. Attamen qui superioribus temporibus veterum scripta ediderunt, cum nihil antiquius haberent quam ut orationem apertam restituerent et lectu iucundam, nobis id reliqui fecerunt, ut veram scriptoris manum investigatam in emendatum textum adscisceremus. Qua re revolvere opus est ac relegere codices scriptos. Qui quibus cognationis vinculis inter se coniuncti sint, nisi anquisitum erit, fieri non poterit, ut agnoscamus, quis sit eorum praestantissimus, quaenam lectio inter varias et diversas praeferenda. Stemma igitur codicum est eruendum, antequam aliquod scriptum recensere adorimur. Atque dum mihi licebat, illustrissimis Italiae bibliothecis pasci, laborem Diodori libris excutiendis impertivi; hac autem hieme eorum, qui regiae bibliothecae Berolinensi praesunt, benignitate ac liberalitate facultas concessa est, ut per otium conferrem illos duos Claromontanos, quibus editores et Stephanus et Wesselingius vel maxime dicuntur esse usi. vid. Vogel. praef. p. XXII. Ac cum coeperim pro mea parte familiam codicum Diodoreorum explicare atque in ordinem redigere (cfr. progr. gymn. Joachimici, Berol. 1884), quae observavi potissimum de his Claromontanis manu scriptis exponam.

---

Liber F manu scriptus cum aliis Diodori quattuor codicibus, qui in bibliotheca Mediomontana diu reconditi erant, nuper de heredibus domini Phillipps emptus nunc in bibliotheca regia Berolinensi adservatur imposita hac nota: ex bibl. Meerm. cod. Phillip. 1628. Olim fuit ex libris Claromontanis, quorum in vetere catalogo (Paris. 1764) numero 218 notatus est. Est autem codex chartaceus in fol. saeculo XVI exaratus, quem Venetiis scutis aureis decem a. 1553 se emisse Ludovicus Beccadelli cardinalis in ipso libro ascripsit. Ibi continentur foliis 252 Diodori Siculi bibliothecae historicae libri V primi. Hunc codicem Wesselingius suis oculis non inspectum nescio quo pacto ab auctoribus, qui contulerunt, in errorem opinionis inductus circa finem saeculi XII confectum esse perhibet in praef. editionis (Amstelod. 1746), ut ceteris antiquior habitus sit libris, qui quidem tum fuerint cogniti. Quo errore factum est, ut qui ad textum Diodori recensendum operam impenderunt, in primis huius codicis rationem haberent. Quem codicem et aetate posteriorem nec tanti esse, quanti adhuc aestimaretur, postquam A. Jacob



(Mélanges Graux, Paris. 1884. p. 522 sqq.) suspicatus est, Fr. Vogel editionis p. XVI sq. uberius disseruit. Quem uterque vir doctus non ad manum habuit, eum ut compararem, accidisse modo dixi.

Codex F litteris claris lepidisque conscriptus, cuius singularum paginarum, quae fere tricenas versus complectuntur, margini ipse librarius varias ac diversas lectiones aspersit, ita elegantia et munditia non caret, ut primo aspectu oculos animumque occupet, praesertim cum comparaveris cum libro posteriore Claromontano nota G exsignato, qui et ipse ex urbe Chaltenham Berolinum transmissus (ex bibl. Meerm. cod. Phillipp 1630), multis verbis a pluribus scriptoribus cum in textu tum in margine mutatis et additis cum valde inquinatus sit, foedum quasi spectaculum praebet. Hos codices inter se simillimos esse satis constat et cuius facile est intellectu ex varietate lectionum, quam Wesseling suppeditavit; sed ne quid omisisse videar, hic propono nonnulla, quae fors mihi obtulit, eaque menda librorum, quippe quae ad causam eiusmodi declarandam maximi sint momenti. Adfero autem paginas versusque editionis Wesselingianae secutus Dindorfium, cuius maiore editione (Lips. 1828 sqq.) usus sum, cum contuli hos libros manuscriptos. cfr. lib. II, c. 2 sqq. 115, 94 *δυσειβόλου*] FG *δυσειβόλου*; 115, 14 *διεψεύσθη*] *διεψεύσθη*; 117, 100 *τοῖς ἀναθεωροῦσι*] *τῆς ἀναθεωροῦσι*; 119, 77 *ἠπέλιψε*] *ἠπέλιψε*; 119, 89 *ἔθαψεν*] *ἔθραψεν*; 120, 16 *ὄργυιῶν*] *ὄργειῶν*; 121, 37 *τόρμοις*] *κορμοῖς*; 122, 79 *ὁ ἀνὴρ*] *ἡ ἀνήρ*; 123, 19 *πεποιῆσθαι*] *πεποιῆσαι*; 123, 22 *πεφιλοτεχνημένης*] *φιλοτεχνημένης*; 124, 74 *μολιβᾶς*] *μολειβᾶς*; 128, 25 *πιόντια*] *ποιόντια*; 132, 95 *τῆ στρατοπεδεία*] *τῆ στρατοπεδία*; 133, 27 *βραχύν*] *βραχύν*. Atque eadem sigla scripta invenies, velut 126, 33 *πνεύμονα*] FG *πνῆς*, quod est perspicue falsum; 141, 6 *ἀντοφόρον*] *ἀντοφῶ*; 160, 6 *χρησίμοις*] *χρησί<sup>μ</sup>* etc. Nec non congruunt, quaecumque in margine exempli F orationi contextae apposita sunt; nam eadem omnia in libro G occurrunt, ut 139, 99 *μετὰ βοηθείας* — *μεταβολήν*; 145, 51 *λέγουσι παρὰ* — *εὐφοροῦσι περὶ*; 150, 65 *γάγγον* — *σάρτην*; 154, 54 *κατὰ τοὺς ἵππους* — *καθάπερ ἵπποι*; 155, 4 *μερικίσθαι* — *μετοικισθῆναι*, alia id genus.

Exsistit igitur hoc loco quaestio admodum difficilis, quonam cognationis vinculo inter se coniuncti sint libri F et G, id quod nemo adhuc conatus est penitus perscrutari. Fuerunt, qui illum et antiquiorem hoc et praestantiorem esse arbitrarentur. Quod ita se habere si ponimus, fieri potuit, ut hic G ex illo F exscriberetur. Quae coniectura ne probetur, obstat et impedit, quod compluribus locis, quae in illo praetermissa sunt, ea in hoc exstant. Desunt autem, ut rem exemplis confirmem, in libro F: 129, 72 *καὶ ταῖς*; 147, 51 *πράξει*; 149, 34 *ὁ σπόρος*; 171, 9 *τῶν*; 179, 54 *περὶ*; ibid. 55 *γάρ*; 265, 45 *βαρβάρων. διεξιέναι*; 267, 34 *λίμνην, ἱερὰν δὲ Περσεφόνης ὀνομαζομένην*; 267, 40 *νεκρομαντεῖον*; 268, 74 *εἰς τὴν Σικελίαν, αὐτὸς δὲ ταύρου κέρως λαβόμενος*; 280, 19 *τῶν*; 292, 9 *εἰπεῖν* etc. Accedit illa quoque causa, quod in libro F quamvis accurate cogitateque confecto, sicuti res ipsa cogit, quaedam vocabula depravata sunt, quae emendata alter G servavit. Haec exempli gratia commemoro: 115, 80 *καρίαν*] F *καρδία*; 118, 33 *ἀποβεβηγέναι*] *ἀποβεβληγέναι*; 119, 48 *ἐπιδείξασθαι*] *ἐπιδείσθαι*; 133, 26 *τυχικῶς*] *τεχνικῆς*; 134, 72 *οἰκίαν*] *ἀσίαν*; 135, 34 *παῖς*] *πᾶς*; 138, 44 *ἔθρος*] *ἔθνος*; 151, 92 *συρρεούσας* G] *παρρεούσας*; 164, 25 *ὑπ' ἐπ'*; 179, 14 *ὠμοβοίνας*] *ὠμοβοίνως*; 179, 43 *μερόης*] *μέρους*; 180, 65 *ἀρχήν*] *ψυχήν*; 181, 45 *ἀλχμαλωτισθέντας*] *ἐκμαλωτισθέντας* etc. Vides me voluntate talia vitia in libro F scripta praeteriisse, qualia scriptor G suo usus iudicio commode potuerit tollere, ut 127, 72 *ἐφάνισε*; 130, 97 *ἐπινοήσατο*; 127, 90 *σταδίους*] F *σταδίων*, G *στάδια*; 128, 28 *τις*] F *τι*; 130, 15 *αἶ*] F *ἄν*. Ac ne quis forte miretur, illud est monendum, lectiones ex his

libris manu scriptis vulgatas esse nec integras et mendosas. Quid? quod sescenties alter codex pro altero vocatus est. Mitto hanc omnem colluvionem et confusionem; id autem teneo, codicem F et magis lacunosum esse et corruptiorem libro G. Tantum igitur abest, ut ille vilior priores partes agat, ut contra in oratione Diodori constituenda hunc praeponi oporteat. Quamquam id, quod proposui, quatenus ratio inter eos intercedat, ad liquidum nondum est perductum. Manaruntne ex communi exemplari an liber F a codice G originem duxit? Sed propius accedamus.

Qui codicem F manu exaravit, scribere neglexit p. 293, 89 (lib. IV, 50), quae uncis inclusi, haec: *συλλέξαντα [κοινὸν ἄρασθαι πόλεμον· ἀδύνατον γὰρ εἶναι πεντήκοντα] καὶ* etc. Atque apertum est oculos scribentis ab alio vocabulo ad aliud similiter cadens aberrasse. Quae librarius F omisit, ea unum versum codicis G ita efficiunt, ut verba *πεντήκοντα καὶ* plane subter ista exstent, quae similem exitum habent, *συλλέξαντα κοινόν*. Quae res me adducit in eam opinionem, ut putem, illi scribenti hunc ipsum codicem G sub oculis situm fuisse. Quae opinio ut crescat et confirmetur, iuvat examinare, quid sibi velit verbum, quod in folio 188 libri F scriptum est, nunc vero ut inane inductum *τιτυθομένων*. Nam qua ratione scriba in errorem raptus sit, docet codex G, in quo versus sunt ita discreti:

τι-

*μαιος, φασὶ τοὺς ἀργοναύτας μετὰ τὴν τοῦ δέρατος ἀρπαγὴν  
τυθομένων κτλ.*

(p. 300, 55; lib. IV, 56). An quisquam iam dubitat, quin pro vero constet codicem F ex altero Claromontano esse derivatum? Plura exempla eius modi suppetunt. Etenim liber F habet in extremo recto folio 80 vocabulum *εὐδοκιμεῖν*; scriptor, cum chartam aversam complere inciperet, scribere perrexit *μέμνονα*, ut verba *παρὰ τοῦ βασιλεῦς μάλιστα τῶν καθεσταμένων ἐπάρχων, τὸν δὲ* (p. 136, 59; lib. II, 22) i. e. unus codicis G versus praetermitteretur totus. Scripta videmus in folio 195 libri F haec:

*ἐπὶ Θήβας,*

*ὁ δ' οὖν ἀλκμαίων οὐ μόνον ἀθροίσας ἀξιολόγους δυνάμεις (Θήβας)  
στρατιώτας (sic) κτλ.*

Nomen *δυνάμεις* ita est erasum, ut oculis facile perspiciatur, qua in litura *Θήβας* inscriptum legitur lineola notatum. Haec autem est in codice G (p. 374) series versuum:

*ἐπὶ Θήβας,*

*ὁ δ' οὖν ἀλκμαίων οὐ μόνον ἀθροίσας ἀξιολό-  
γους στρατιώτας, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν πλησίων πόλεων ἀξιολό-  
γους δυνάμεις. στρατεύειν κτλ. (p. 310, 13—14; lib. IV, 66),*

quam liquet esse causam illius lapsus. Conferas p. 169, 24=lib. II, 56, ubi in codice G haec exstant:

*παρ' αὐτοῖς τὴν ἡμέραν ἴσην τῇ νυκτὶ καὶ κατὰ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας  
μὴ γίνεσθαι;*

cum exhibeat codex F *παρ' αὐτοῖς μὴ γίνεσθαι*. Neque aliam explicationem habent, quae calligraphus F bis scripsit p. 184, 41 (lib. III, 15): *τὸν ἔκπλοον, τῇ μὲν ὑπὸ τῆς εὐδαίμονος Ἀρραβίας*. p. 192, 38 (lib. III, 25 extr.): *κάλλιστα διδασκόμενοι ταῖς τοῦ λιμοῦ*; quae simulac se iterare sensit, induxit. Praeterea ex libro quinto Diodori adfero hos duos locos:

*ἐπιμιξίαν λέγονται ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας. δυοῖν δ' ἐθνῶν  
ἀλκίμων μιχθέντων καὶ χάρας (p. 356, 18—20; cap. 33).*



Haec servat liber G (p. 428), cum codex F praebeat *ἐπιμιξίαν μιχθέντων καὶ χώρας*. P. 399, 40—41 (cap. 84) exstant in codice G:

*κρητας ἐξέ-*

*βαλον· τινὰς δὲ κοινῇ μετὰ τῶν προενοικούντων κρητῶν κατώ-*  
*κησαν,*

in libro F sunt scripta *κρητας κατώκησαν*. Quin etiam duos continuos versus codicis G, qui sunt extremi paginae 213, scriptor F excipere non curavit; continuavit enim vocem *σκολιότη-*  
*τας* vocabulo *ιδιότητας κιλ.* (p. 182, 74 = lib. III, 12).

Quibus rebus expositis vehementissime comprobavisse mihi videor, codicem F ex altero G esse descriptum. At quia in manibus sunt multa alia indicia atque argumenta, eorum gravissima nunc breviter astringam. Ac primum quidem pleraque menda, quibus scriptura F corrupta est, explicatu facilia sunt ex litterarum, quas duxit scriba G, specie ac forma. Perlustra oculis ductus litterarum; intelleges p. 298, 75 *διαβοῦσαν* errore oculi exortum ex verbo *λαβοῦσαν*; ibid. 83 confusa animadvertes *κομῆσαι* et *κομῆσαι*; ib. 8 *ἀντιάς* et *ἀντούς*; 299, 47 *ὑπελθεῖν* et *ἐπελθεῖν*; cfr. 182, 79 *ἄνηβοι* G *ἄνημοι*; F *ἄνεμοι*. 154, 52 G *κύνουσι*, F *μύνουσι*; 156, 28 G *ἀνοίκειον*, F *ἀνώκειον*; 161, 33 G *ἀγύραιον*; F *ἀγύρασον* et id genus. Quid? quotiescumque vocabula non perscripta sunt, sed ad compendium conlata, haec omnia sigla haudquam discrepant. Nec vero modo vulgares illae notae, quibus redduntur *πατήρ*, *μήτηρ*, *σωτήρ*, *οὐρανός*, *ἄνθρωπος*, *ἀνθρώπινος* (295, 48), *πατρίς*, *πατριῶς* (288, 20; 296, 4), *θεός*, cetera, sed etiam congruunt novae et insolitae, ut 257, 6  $\hat{\chi}$  (id est *χολήν*); 263, 64  $\tilde{\epsilon}\pi\beta\tilde{\omicron}$  (*ἐπιβούλους*); 287, 78  $\tilde{\pi}\nu\varsigma$  (*πνεύματος*); 182, 51 *μεγά* (*μεγάλας*), quas num ipsi librarii prudenter intellexerint, incertum est. Adde eandem quamvis perversam verborum distractionem, velut 275, 67 *τε μένεσι* (= *τεμένεσι*), eandem interpunctionem. Atque hoc etiam animadvertendum est, ubicumque in codice G litteris  $\alpha$   $\beta$   $\gamma$   $\delta$  superscriptis ordo verborum invertitur, eodem verborum ordine servato scriptorem F easdem litterulas adiunxisse. Utor autem hic uno pro multis exemplo, quod repetivi ex primo secundi libri capite (p. 114, 42): *παραλαβὼν τὸν<sup>δ</sup> δυναστεύοντα τῶν<sup>α</sup> ἄρχόντων<sup>β</sup>*. Considera quaeso articulo *τῶν* praeter consuetudinem a librario suam litterulam esse adiectam; quod cur factum sit, nullo negotio percipies ex codice G, in quo iste articulus finem facit versus; quod cum in librum F non cadat, quid est, cur notula sit addita nisi quod calligraphus exemplar G plane bene exscripserit?

Sequitur ut de iis explicem, quae in margine scriptor F adnotavit. Ipsum librarium sua manu haec in margine inscripsisse praedicandum videtur, ne quem in errorem Fr. Vogel inducat, qui citans in éditione notas F<sup>1</sup> F<sup>2</sup> falso suspicatus est propriam manum ab aliena esse distinguendam. Atque haec omnia si in codice G exstant, quid mirum? at opus est scitu hunc codicem cum diligentia correctum emendatumque esse. Optime autem accidit, quod sine ullo labore haec emendatoris manus cum a ceteris adnotationibus tum a principali libro et diluto atramenti rubore et figura litterarum exigua internosci potest. Hunc emendatum ac suppletum codicem G significavi, cum ex eo fluxisse librum F affirmavi. Eam autem transscribendi rationem iniiit librarius F, ut orationi ipsi iis insertis, quae in libro G negligentia quadam praetermissa viderentur, discrepantes lectiones in margine adnecteret. Itaque p. 114, 75. 78 in textu utriusque codicis scripta sunt verba *ἀνέμνησε*, *παρθίας*, in margine apposita *ἀνέγραψε*, *παραθαλαττίον*.

Atque etiam his marginis lectionibus perpensis codicem F peiorem esse in promptu est manifestumque. Quod ne quis temere contendere existimet, his paucis ostendam exemplis: p. 203, 84 *κάλωμον*] G. marg. *κάλων*, F. m. *κάλιον*; 211, 61 *ἀραττόμενον*] G. m. *ταρατ-*, F. m. *παρα* duabus litteris *ταυ* copulando ad unum *πτ* falso iunctis; 224, 5 *καὶ ταῖς μάχαις*] G *κατὰ τὰς μάχας*, F *καὶ τὰς μάχας* etc. Desiderantur etiam nonnulla, quae librarius litteris mandare neglexit, etiamsi in codice G scripta sunt, ut 138, 53 *ἄγοντες*; sed huius modi argumenta colligere supersedeo. Illud vero est memoratu dignum, quod signa, quibus oculi et animi legentium convertuntur in eas res, quae in consuetudinem proverbii venerunt, ut  $\text{Ϸ}$ , iisdem locis utriusque codicis occurrunt. In codice G illud  $\overset{\omega}{\gamma\nu}$  (*γνωμικόν*) sub finem paginae 132 subiunctum est, cum quae spectatur sententia maxima ex parte summa, quae excipit, pagina contineatur — est autem de hominibus, qui, quo plura habent, eo ampliora cupiunt p. 114, 66 = lib. II, 2 init. — qua re perductus est scriba F, ut alienas res eo signo notaret. Quod signum cum iam scriptor G errore captus duobus versibus infra eas, ad quas debuit res, adnexisset — p. 185, 83 = lib. III, 15 extr. *πάντα ἢ χρεία διδάσκει* — cur eidem loco minime apto librarius F adiecisset, nisi codicis G verbum pro verbo reddidisset?

Ut vero iam ad extremum illud veniamus, quod ad veritatem quasi extorquendam gravissimum est, in utroque codice pariter spatium vacuum relictum est p. 387, 57 = lib. V, c. 71: *αὐτομολῆσαι μὲν γὰρ ἐκ τῶν πολεμίων* sqq. sic, ut usque ad *α* litterae constant integrae, reliquae tres cum accentu desiderentur. Quod si conceditur verum esse, quod statui, codicem F totum ex libro G manavisse, consequens est illum prae hoc, qui posterior perperam iudicabatur, indignum esse, quem sequamur in recensenda Diodori bibliotheca. Neque enim, qui illum F exaravit, excepto hoc uno G ullum librum manu scriptum evolvit nec coniectura adhibita de suo quicquam addidit, praeterquam quod aperta parvi momenti errata correxit, id quod raro usu venit. Exempli gratia commemoro, nomen *ἔθνος*, quod p. 167, 66 = lib. II, 55 in altero codice exstat, ab altero F reffectum esse in *ἔθνος*. Nihilo tamen secius omnes editiones Diodori, ex quo tempore Henricus Stephanus suam foras dedit (a. MDLIX), quadam necessitudine librum F attingunt; quin etiam qui nuper bibliothecam historicam emittere coepit, Fr. Vogel auctoritate virorum doctorum commotum se magis quam liceret ad hunc codicem se applicasse questus est (v. praef. XXVII). Quae querela quamvis iusta sit, tamen qui Diodorum ediderunt, si modo horum duorum codicum ratio habetur, in errorem non ita magnum inciderunt, quoniam fide libri F fracta alter persimilis G in locum eius substituendus est. Wesselingius eos confudit; qui utrumque ad manus habuit, Stephanus quin illum F ut inferiorem posthabuerit vel totum neglexerit, ex hoc G fructum cepit, dubitari nequit<sup>1)</sup>. Nec lectiones ex libro F in medium prolatae ullo modo sufficiunt. Qui quo tempore conglutinatus sit, parum constat; sed cum huius tegumentum simillimum sit et fere geminum codicis G, quem non compactum fuisse docemur catalogo collegii Claromontani, qui Parisiis a. 1764 prodiit, consequens est utrumque librum post hunc annum membrana vestitum esse. Atque postquam vinctus est, liber F vixdum perlectus aut omnino non inspectus est; namque, quae multa emisi, chartae resemina in foliis ita haerebant, ut verba occultarentur. Diu liber F in tenebris et silentio bibliothecae Mediomontanae retrusus et abditus iacuit; Berolini quoque quiescat, quam diu habebimus, ex quo transcriptus est, codicem G.

<sup>1)</sup> Jacob errat, cum dicit l. c. p. 526: c'est F plutôt que G, qui paraît être l'autorité principale d'Estienne.



Vereor ne lectorem fatigem; ac tamen re ipsa expedita unus scrupulus residet, quem inicit principalis codex G duabus manibus confectus; quarum una bibliothecae librum primum, altera exaravit quattuor subsequentes; quam ob rem illum adhuc curare nolui. Sed is nodus erit continuo solutus, ubi reputaveris duabus ex his partibus effectum fuisse, cum exscriberetur, simplicem et unum codicem. Id ex eo patet, quod illa, quam supra descripsi, correctoris manus aequabiliter utramque partem retractavit, quo ab recognito codice velut a fonte profluxisse illum alterum F memineris. Si opus est disputatione, haec adfero. Inveniuntur eadem menda, ut 15, 34 νεβρίδος] νευρίδος; 15, 39 ὄψεως] οὔνεως; 16, 78 ὠκεάνην] ὠκέλην alia; sed liber F deterior. cfr. 5, 69 ἀκαριαῖον] F ἀκαθαριαῖον; 6, 13 ἐπιστήσαντες] ἐπιστάντες; 9, 26 ἐκ τῆς] ἀντῆς — 39, 28 καθ' ἐκείτερον] καθ' ἕτερον; 40, 47 ἐκατέραν] ἐκατέρων; ibid. 60 ἔλη] G ἔλη, F ἔτη; ib. 80 ἀποχωρήσειν] F ἀναχωρήσειν etc. Accedit, quod plura codex G servat; desunt enim in illo altero 3, 11 ἕκαστα; 18, 67 καί; 24, 89 τήν; 28, 27 τοὺς χρόνους; 45, 62 ἔνα; 55, 73 οὖν; 77, 25 καί etc. Paulisper mihi mota est dubitatio, num tota via erravissim, quando in libro G scriptum vidi verbum κατὰμψαντος, in exemplari F correctum καταλάμψαντος (p. 10, 72); nam haesitabam, utrum talis correctio ipsi librario F posset tribui necne; verum tamen dubitare desi, ubi syllabam λα lineola notatam animadverti et crevi initio libri F alia quoque menda sublata, quae codicem G deformant, velut 6, 19 ποικιλοτάτας; ibid. 20 πόλεος; ib. 25 δυσχέριαν. cfr. 261, 69 διαιρούμενα] G διαρκούμενα, F διακρούμενα. Incurri autem in maiorem difficultatem, cum contextum orationis F perspexissem saepius habere, quae in margine exemplaris G inscripta sunt, cum contra huius textus praebeat, quae illius margo. Neque tamen hic scrupulus evellitur difficulter. Nam librarius F primum, cum exscribere coepit, incertus, utrum textus an marginis lectio esset praeferenda, animi pependit, qua ratione describendi uteretur; tum autem eam legem secutus est, ut nihil commutaret aut inverteret. Atque hac inconstantia scriptoris factum est, ut alter codex ab altero distingueretur, permutatus alter pro altero citaretur. Itaque excusationem habere videntur viri docti, qui Wesselingium de fide atque auctoritate horum codicum in errorem induxerunt.

Quibus rebus expositis quis est qui totum codicem F ex libro G delibatum esse neget? Ac ne ignores cautionem in iudicando adhibitam, antequam finem facio disserendi, extremum est, ut doceam me quaestionis excutiendae causa etiam alios libros manu scriptos circumspexisse. (cfr. progr. p. 17 sqq.). Nam, id quod neminem fugit, codex Berolinensis G propinquitate artissime cohaeret cum Marciano M vocato. Quam propinquitatem ut demonstrem, satis habeo hic commemorare etiam in hoc illud, quod supra deformavi, spatium relictum esse p. 387, 57. Propter hanc affinitatis coniunctionem incidat quis in eam cogitationem, ut codicem F pendere putet ex hoc Marciano M, quem Venetiis ipsis quondam a me evolutum hoc temporis momento ad manus non esse doleo. At ut alia argumenta reticeam, iisdem versibus textum scriptum esse in libris M ac G quamvis inter se concinentibus incredibile est. Res autem fit manifesta et explorata, cum cognoveris illum M non aequae atque hunc G retractatum esse. Ut exemplo utar, p. 78, 42sq. (= lib. I, 67) codex F integer est, quo loco uterque illorum omissis verbis δειξάντες et ἔφασαν par intervallum reliquit ad excipienda vocabula (με)γαλοψυχία χρησάμενοι; quae omnia, quia in codice G ab isto correctore adiecta sunt, a librario F exscribi potuerunt. Nec vero ullo pacto fieri potuit, ut contra ac dictum est corrector, quaecumque commutavit, peteret ex libro F. Sed taedet in aperta re argumenta coacervare.



Quoniam, ni fallor, ita confirmatum est, ut refutari ac dilui nequeat, codicem F nullius momenti esse ad editionem Diodori parandam, deinceps explicabo, qui qualisque sit alter Berolinensis littera G insignitus (ex bibl. Meerm. cod. Phillip. 1630, v. supra), quo et ipso primi quinque libri Diodori continentur. Hic codex chartaceus in fol. exaratus saeculo XVI constat ex paginis 480, quibus numeri ordine adscripti sunt atramento; duo tantummodo folia, quae complectuntur paginas 147—150, cum liber compingeretur, falso post paginam 158 inserta sunt. Paginas autem quam folia citare malo, siquidem is, qui foliorum numerum plumbo, Berolini puto, notavit, duo folia transiit, prius, quod excipitur folio 86, alterum proximum a folio 140. Noster codex tunc nondum colligatus in indice manu scriptorum codicum Claromontanorum notatus est numero 229. Atque est vulgata opinio, qua creditur hunc traditum esse excudendum typographis; consule, quod Vogel praefatus est pag. XVI. Hic tamen codex G, cuiusnam pretii sit, iis ex lectionibus, quarum notitiam habent editores, eo difficiliter aestimari potest, quo secius in iis vetus et genuina manus a correctionibus et additamentis posteriorum, quae frequentissima sunt, distincta est; neque ex confusione solet emergere veritas. Nam adeo non prima manus commemoratur, ut ista, quae mutata et admixta sunt, sine ullo discrimine in medium proferantur. Agnoscitur praecipue ille emendator, quem supra memoravi non mediocrem adhibuisse diligentiam ad menda tollenda. Qui quaecumque conscripsit, commodissime secernuntur. Contuere, ubi loci adnotationes vel litterae illius inveniantur: perspicies a nullo prius codicem inculcatum ac reffectum esse; de quo antequam expono, nunc explicandum est de illo correctore, quem, ut a principali libro G disiungam, licet notare litteris Gc.

Ac primum quidem patet, quaecumque subiuncta sunt sive singula verba sive continui versus (ut 166, 28; 170, 99), mirum in modum cum oratione Diodori ex aliis libris scriptis cognita consentire. Itaque mihi persuasum est, correctori prae manibus fuisse aliquem codicem; qui num usque ad nostram aetatem integer permanserit, operae pretium est inquirere. Qua re excussa perspicuum erit, quid valeat liber Gc. Quem cum quis perlegerit, mirabitur, quod corrector non constanter codicem retractavit, sed singulas quasdam partes non multum aut nihil omnino tetigit. In his quippe cum eum minus curiosum fuisse consentaneum non sit, cur ita egerit, causam externam atque adventiciam quaeri oportet. Cogitatio igitur animum subit, quod is ante oculos habuerit exemplar, id imperfectum vel lacunosum fuisse. Qua re interest perscrutari, sitne ereptus malignitati temporum eius modi detruncatus nec integer codex.

Extant vero in bibliotheca Laurentiana quattuor codices, qui manci et inchoati relictii sunt, quandoquidem librarii verecundia commemorationem omnium rerum impedivit, quae a fide christiana abhorrere viderentur. Sunt autem plutei 70 codices 1. 9. 18. 34. vid. Bandin. II, 654. Quos persimiles quoniam descripsi in programmate, quod paulo superius commemoravi, (v. p. 19sq.), hoc loco nihil explicabo nisi quod necessarium est ad quaestionem profligandam. Insunt in iis Diodori prima quinque capita libri primi, tum consequuntur, quae inde a fine capitis 29 exstant usque ad medium caput 96, ut extremus liber primus desideretur; tum excipiuntur liber secundus et libri tertii capita 55; quarto libro toto omisso liber quintus postremo succedit usque ad medium caput 46. Neque alii, quod sciam, codices in eundem modum imminuti iam usquam supersunt et delibero an nunquam exstiterint. Quid igitur? quia eadem istae partes, quas modo recensui, codicis G correctae emendataeque sunt, nonne consequens est correctorem usum esse uno ex illis exemplari? Quod coniectura auguror, ut id pro certo ponam, impellor con-

venientia consensuque lectionum; quae num consentiant, tu ipse diiudica. 3, 13 ἴδεν] εἶδεν Gc = J; interpreteris velim litteram J Florentinum plutei 70 codicem primum. 3, 15 ἀποταγμάτων G] ἀποτενγμάτων Gc = J; 3, 16 διδασκαλίαν G] τὴν διδασκαλίαν J; Gc lineola notat initium nominis; 4, 24 ἐκάστῳ G] ἐκάστοις Gc = J; 4, 37 μίμησιν G] μάθησιν Gc = J; 4, 38 ὑπερετροῦσαν G] προτεροῦσαν Gc = J; 4, 51 ἐπ' ἀγαθῶ Gc = J; 4, 52 πρὸς πόλεων G] κίσιται Gc = J; 4, 58 μάλιστα G] μάλιστ' αἰτία Gc = J. 5, 64 quod G omisit μάλλον, adiecit Gc, servat J. Haec fere sunt ab isto correctore in primo folio codicis G adscripta. Nec magis differt, quicquid initio libri quinti codex Gc habet; quod aequae ac supra ita adfero, ut antiquiori G manui priorem locum concedam. 330, 6 διακόσμησιν G] διαμονήν Gc = J; ib. 8 ἔξιν] λέξιν; ib. 9 κατὰ τὴν om. G, hab. Gc = J; ib. 11 διήμαρτον] διήνεγκαν; ib. 16 εὐκαίρους] ἀκαίρους; ib. 21 om. περιέχειν] falso loco addit; (cap. 2) 331, 3 κατοικούντων] κατοικησάντων; ib. 35 πελωριάδος] πελωρίδος; 41 ἐγγωρίοις] ἐγγόνοις; 44 δίδοσθαι] δεδόσθαι; 55 ἄλλους om.] serv., 56 τοῦ om.] serv.; 60 τῆ κρατίστη om.] serv., (c. 3) 66 κατ' αὐτὴν] κατὰ ταύτην; 69 ἔραν] ἔναν; 71 εὐπρεπῆς] ἐκπρεπῆς; 71 καὶ τῆς Θεᾶς] καὶ τῆς Θεᾶς quae sunt reliqua. Atque oppositum iri video correctorem sua ex alio quolibet libro repetere potuisse; illud tamen parvi refert; nam etsi emendatas lectiones in permultis exemplaribus inveniri necesse est, quid censes mendosas? An est quisquam, qui ignoret, menda et errata ad spem obtinendae veritatis gravissima esse? Adfero igitur aliquot vitia, quae non scripta vidi — codex F desiit in pretio esse — nisi in libris Florentinis et in codice Gc:

- |   |   |
|---|---|
| 37, 52 = lib. I, 32 παρακειμένας addunt Gc et J.        | 213, 27 (III, 45) λαῶν] G ἀλιέων; Gc = J ἄλλων.                   |
| 37, 72 μὲν ὡς add.                                      | 337, 88 (V, 8) ἐπιείκειαν] ἐπιμέλειαν J = Gc.                     |
| 38, 81 κατὰ τοῦτο τὸ μέρος add.                         | 337, 5 (V, 9) ἔγνωσαν] γνῶναι.                                    |
| 38, 85 ῥέματος] Gc = J ῥείθρον.                         | 337, 15 μάχην] ἀρχήν.   |
| 38, 92 ὡς ἔφημεν add.                                   | 338, 58 (c. 10) τροφήν] G τροφήν; Gc = J δὲ τροφήν.               |
| 50, 53 (lib. I, 40) παρειαγομένη] Gc = J προσειαγομένη. | 339, 14 (c. 12) εἶχον ταύτην] G εἶχον αὐτήν; Gc = J ταύτην εἶχον. |
| 72, 34 (lib. I, 63) ἐκ τῆς] G ἐκάστης; Gc = J ἔκτης.    | 339, 19 γαῦλος] G γάβδος; Gc = J γαῦδος.                          |
| 73, 71 (I, 64) αὐτάς] Gc = J τούτους.                   | 340, 33 (c. 13) χωνείαν] χωνίαν.                                  |
| 83, 31 (I, 72) μὲν add.                                 | 340, 46 τὰ] ἄ.  |
| 83, 32 δὲ χάριν add.                                    | 341, 94 (c. 15) ὄντων G] ἰῶν Θεσπιάδων.                           |
| 92, 33 (lib. I, 83) οὐδένα] οὐδενί.                     | 343, 50 (c. 16) κοτίνοις] κντίνοις.                               |
| 99, 18 (I, 89) φοβουμένους] φοβούμενος.                 | 346, 97 (c. 21) παρωκεανῆτιν] παρ' ὠκεανόν ἐστι.                  |
| 106, 69 (I, 95) δικαιότατος] δίκαιος.                   | 347, 16 κάντιον] κάτιον.  |
| 114, 73 (II, 2) καί add.                                | 347, 56 (c. 22) διαφνᾶς] διαφνᾶς.                                 |
| 115, 82 τρωάδα] τρωιάδα.                                | 351, 29 (c. 28) σατύροις καὶ πᾶσιν] σ. κ. παισίν.                 |
| 115, 87 καρμανίων] G ῥόμβων; Gc = J χωρομναίων.         | 356, 16 (c. 33 init.) οἷ τε] οἷτινες, cetera.                     |
| 133, 19 (II, 19) μαχομένη] ἀγομένη.                     |   |

Ex his argumenta potentissima duci iustum est, quibus codices Florentinos a correctore inspectos esse probem. Adde, quod ab eodem (cui rei testimonio est color atramenti) interdum



verba quaedam codicis G linea notata sunt. Haec non exstant in codice J; en causa, cur corrector expunxerit. Cfr. 72,26 ἤ; 114,74 οὖν. Neque alienum est de verbis dicere, quae lib. V, 9 init. (= p. 337, 1) inveniuntur ἐπολέμων ἐπὶ πολλοὺς χρόνους. Sunt enim in codice G ita scripti, ut versus terminetur augmento ε. Cui corrector in margine subiunxit πὶ πολλοὺς; quod factum est, quia verba in codice J legit inversa hoc ordine ἐπὶ πολλοὺς ἐπολέμων χρόνους. Primum igitur adductus, ut putaret verba ἐπὶ πολλοὺς esse omissa, simulatque errore se captum esse animadvertit, iis inductis, quae ipse iam iteraverat, litterulas β et α superscripsit.

Talia argumenta non magnum est colligere; sed brevitatis causa, cum quaecumque corrector adscripsit, ita concordent cum libris Florentinis, ut in aperto sit ei alios codices usui non fuisse, haec relinquo omnia. Iam illud quaero, ex quonam horum quattuor codicum ille hauserit. Atque ex diversitate lectionum efficitur codicem numero XVIII notatum non esse collatum, cuius discrepantiae testimonia ex primo libro adfero haec: cap. 47 (= p. 56, 2) δέκα σταδίων G] δὲ ἕκαστα δι' ὧν Gc=J; spatium in codice XVIII relictum est, cum haec verba sensu carere viderentur. cap. 56 ἐγγώριος] ἐγγωρίους Gc=J; XVIII ἐγγωρίων; c. 57 συγκομιδάς] συλλογάς; c. 60 ῥινοκούρουσαν G] ῥινοκουράραν Gc=J, ῥινοκουῖραν XVIII; c. 62 κέτηνα] κέτνα Gc; τέκνα (sic) XVIII. c. 67 καὶ τὰ καλούμενα στρατιόπεδα τόπον οἰκεῖν ἔδωκε om. XVIII, addit Gc; c. 77 ἴσας] Gc ὄσας, XVIII τόσας, qui codex eodem loco pratermisit τὰ τέκνα, quae leguntur in Gc; c. 94 φήσαντα] φοιτήσαντα Gc=J; XVIII ex coniectura φήσαντα; ibid. παραβαλλόντων; XVIII παραβαλλόντων; tum ex bibliothecae libro secundo c. 13 ἐποίησεν] ἐπέθηκεν Gc=J; ἔθηκεν XVIII; c. 29 διαίρεσιν G=J] αἵρεσιν XVIII; c. 50 (p. 162, 78) περικατάληπτον] XVIII ἀπερικάλυπτον; ibid. αὐτὸ—διαλαμβάνον G] αὐτοὶ—διαλαμβάνοντες Gc=J; αὐτὰ—διαλαμβάνοντα XVIII. Atque haec quidem hactenus. An quisquam iis perlustratis dubitat, num hunc codicem decimum octavum corrector missum fecerit? Quem prorsus nihil curabit, qui verba ipsius Diodori investigare studebit ac persequi. Cfr. quae disputavi in progr. p. 21 sq.

Neque veri similis est codicem tricesimum quartum comparatum esse; qui, dum integer erat, eadem complexus esse videtur, quae ceteri; detrimentum autem non mediocre accepit; quod ut sarciretur aliquot folia nunc quidem inserta tamen vacua relicta sunt. Haec iactura quando facta sit, compertum non habeo; id vero certum est mutilatum codicem non potuisse conferri, cum quae in hoc desiderantur, multa insint in illo Gc. Neque scio num res idoneam ansam praebeat concipiendi correctoris in manus pervenisse totum integrum codicem. Sed id dicendum eum multa vitia defugisse, quibus obnoxius est codex J. Pauca ex ineunte libro tertio in exemplum subicio: χθιζός, τὰς ἀποικίας, γενομένην, ἐξευρημένους, ἦν, τολμήσαντας, ὀφθαλμός, ἐκάστους J pro χθιζός, τῆς ἀποικίας, γινομένην, ἐξευρημένους, ὄν, τολμήσοντας, ὀφθαλμός, ἐκάστοις, quae hab. cod. 34. Atque etiam ob eam rem codex 34 dignus est, qui memoretur, quod quo anno confecerit librarius subscripsit. Haec enim subscripta inveniuntur: ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον μηνὶ Φεβρουαρίῳ ιβ' Ἰνδ. ε' ἔτους ,ς'Ϟλ' χειρὶ γραφῆν Γεωργίου διακόνου τοῦ Χρυσόκοκκη ἀναλώμασι δὲ Χριστοφόρου Γαράθωνος ἐν Κωνσταντινουπόλει. (6935 = 1427 p. Chr. n.). At cum aetate inferior sit, cedit codici nono; nam, ut ait subscriptio, ἡ βίβλος αὕτη εἴληψε τέλος μηνὶ μαῖω δεκάτῃ ἡμέρᾳ σαββάτῳ ἔτους ,ς'Ϟζ' Ἰνδ. ἐβδόμῃ (6907 = 1399 p. Chr.). ὁ γραφεὺς ταύτης Ἀνδρέας Θύτης Λεαντηνὸς καὶ ταβουλλάριος ὁ ἁγιοπροκοπίτης sqq. Cum abhinc annos septem Florentiae versarer, prae primo hunc nonum librum neglexi, id quod nunc doleo, cum praesertim hic nonus ad annum certum redeat, ille primus, quo anno effectus



sit, ignoretur; sed tunc in hac fui sententia, ut hunc (quem perlustrare Gronovius, cum ederet Arrianum, gravatus est) et posteriorem esse putarem et manavisse ex illo, quem significavi littera J. Neque tamen, quoniam hi codices proxima cognatione sese attingunt, nunc pro certo adfirmare audeo, utro corrector usus sit codice. Interdum enim eo adductus sum, ut censerem, correctorem codicis G ex hoc codice nono fructum cepisse. Velut lib. I, cap. 90 (= p. 100, 60) verbo *κατισχύοντος* adiectum est *καθ'εσθίουτος*. Quod verbum si certo scirem primo codici deesse, inesse nono, res haud ambigua esset et explorata; item in superiore capite 89 (= 100, 39) si in primo libro non exstet, quod corrector adscripsit, *ἄλλων* vocabulum, facile colligas codicem nonum esse collatum. Sed quae excerpseri, causae cognoscendae non sufficiunt neque codices hoc temporis momento adire licet. Quae cum ita sint, haec de codicum affinitate quaestio in medio mihi est relinquenda. Id quod non ita magni momenti est ad ipsam rem propositam declarandam. Cum id egerim, ut eruerem, utrum quem corrector comparavit codicem manu scriptum, is temporum iniquitate perierit an pervenerit ad nostram aetatem, hic satis habeo demonstrasse eum re vera adhuc superesse. Sed qualis sit liber J, infra disputabo.

Quod intendi, etiam hac ratione firmari potest. Is qui codicis G priorem partem conscripsit, alterius libri summarii duo prima capita rubro atramento subiunxit. Reliquum argumentum corrector item rufo atramento usus adiecit idque in eadem pagina, cuius spatium purum relictum tantum fuit, quantum satis ad totum indicem capiendum. Idem corrector cetera argumenta singulis libris addidit; quae cum folia capere non possent, coactus est ea inculcare illis lineamentis, quae sub finem librorum ornamenti causa a calligraphis duci solebant, vel ipsis extremis librorum verbis interponere; veluti syllaba *-βλον* (quem exitum habet ultimum libri quarti verbum *βιβλον*) argumento medio inserta est. Atque ut intellegas spatium angustum fuisse, expende atque aestima, summariorum partes contra morem consuetudinemque plerumque a librario uno et perpetuo tenore, non membratim et singulis versibus esse scripta. Praeterea accidit, ut argumenti libri quinti tria postrema membra alia ac correctoris manu apposita sint. Quid? quod iisdem his tribus capitibus caret codex Florentinus. Consequens ergo est, ut hunc exscripserit corrector. Quod cum ita sit, huius Florentini lectiones correctori praeferrari oportet. Atque meam quam aperui de exemplari sententiam, quo usus sit corrector, veritate niti hoc comprobatur, quod alii codices tantopere discrepant cum Gc, ut Gc ex iis pendere nequeat; quod missum facio, cum ex lectionibus pervulgatis sine ullo negotio efficiatur.

Exposita igitur hac causa nunc accedam ad eas codicis G partes, quae a librario Florentino praetermissae tamen a correctore retractatae sunt. Atque ut diiudicare possimus, omissa prima parte codicum Florentinorum, quae pertinet ad verba capitis quinti *βεβαιούνη ἐγγχειρήσομεν* (ubi in G est *βεβαίαν*, p. 9, 35), inde a capite sexto libri primi haec mutata inveniuntur: 9, 40 (c. 6) *προσδεῖσθαι*] *προδεῖσθαι* G; litteram *σ* addit Gc; 10, 65 (c. 7 init.) *ἐναποληφθῆναι*] *ἐναπολειφθῆναι* G; *ἐναπολειφθεῖναι* Gc; 12, 28 (c. 8) *ἀπόλλυσθαι*] *ἀπόλλυσαι* Gc; 12, 45 (c. 9 init.) *πρώτους*] *πρωτον* G; *πρωτους* Gc; 15, 39 (c. 11) *ὄψεως*] *ὄννεως* G; *ὄψεως* Gc; 16, 93 *καὶ τὸν ἀκρότατον ἐπέχειν τόπον*] *ἄκρατον* G; *στ* litteras superscripsit Gc; 17, 12 (c. 12 extr.) *ἔσορῶντες* G] *ἔσορόωντες* Gc; 18, 79 (c. 15) *κισθῆναι τὰς Θήβας*] *κτ. τ. Θήρας* G; *β* Gc; 20, 26 (c. 16) *ἱερογραμματεῖα*] *γραμματεία* G; *-έα* Gc; 22, 91 (c. 18) *Ἵοσιριν φιλογέλωτά τε* (?) *καὶ Ἵο. φιλογελώτατον καὶ* G; *φιλογελώτατα καὶ* Gc; 22, 99 (c. 18) *παραληφθῆναι πρὸς τὴν στρατείαν· οὐ γὰρ πολεμικὸν εἶναι τὸν Ἵοσιριν οὐδὲ* omisit G, addidit Gc; 26, 47 (c. 22) *διὰ*

- ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν] δὲ τὴν om. G; add. Gc. 26, 72 (c. 23) παραβαλόντα] παραλαβόντα G; -βαλ- Gc; 28, 31 (c. 24) οὐ φασὶ γινώσκειν] οὐ γιν. φ. G; invertit Gc adiectis litteris β et α; ibid. ἐξ ἀλμύνης G; ἐξ ἀλκμύνης Gc; 29, 62 (c. 25) παρὰ] πάντα G; παρὰ Gc; cfr. 31, 34 (c. 27) παρὰ] πᾶσι G; παρὰ Gc; 30, 9 (c. 26) θέρους, quod omisit G, add. Gc; 33, 2 (c. 28) δημιουργῶν τῶν] τῶν, quod praeteriit G, subiunxit Gc; 35, 37 (c. 30) δχυρότητι — κάλλει χώρας] ἰσχυρότητι — καλιχώρια G; Gc corr. = J, qui codex hinc rursus incipit. Quas commutationes qui examinaverit, is facile adsentietur, etiamsi minus accurate et minus saepe emendaverit, quam ubi copia ei codicis J erat, correctorem multam operam consumpsisse in vitiis tollendis aliumque — id quod caput est — codicem comparasse. Idem efficitur et cogitur ex reliquis locis; sed ne in hoc genere nimius videar, nihil exempli causa pono nisi quae ex quarto libro collegi, quem totum deesse supra dixi in codicibus Florentinis. 246, 43 (c.1) τε καὶ ἡμιθέων om. G, add. Gc, quae verba ibid. iam v. 30 leguntur.
- 249, 33 (c. 3) οἶνον ἄρκτον G; οἶνον ἄκρατον Gc. 265, 54 (c. 20) γῆν τραχεῖαν καὶ παντελῶς λυπράν] quod in G scriptum est λυπηράν, emendavit Gc.
- 249, 41 (c. 3) τῆς ξηρᾶς τροφῆς τὴν κίστην G; τ. ξ. τ. τ. κρατίστην Gc. 268, 72 (c. 22) Ἡρακλῆς καταντήσας ἐπὶ τὸν πορθμόν] καταντήσας om. G; add. Gc.
- 254, 83 (c. 9) τὴν ἀπάτην προκρίναντα G; τ. ἀ. οὖν π. Gc. 271, 4 (c. 26 init.) παρὰ τοὺς δεδομένους μύθους G; κατὰ τοὺς παραδεδομένους μύθους recte Gc.
- 255, 15 (c. 10) ἐπέπνιξε G; ἀπέπνιξε Gc. 275, 94 (c. 31) ἐκ τῆς Μεγάρας] articulum om. G; add. Gc.
- 257, 76 (c. 11) ἐπιγνοὺς τὴν ἄγροϊαν G; ἐ. τ. ἰδίαν ἀ. Gc. 278, 100 (c. 33) περὶ τοῦ τὸ νίκημα ἀπέδωκεν G; recte add. Gc μισθοῦ.
- 258, 43 (c. 12) ὁ δ' ἀκαταπλήκτως ἀξίαν τῶν προκατειργασμένων συνεστήσατο μάχην G; ὑποστὰς post ἀκατ. addidit Gc. 287, 8 (c. 44) τὴν φυσικὴν τῶν γονέων εἰς τέκνα φιλοστοργίαν] εἰς τέκνα om. G; add. Gc.
- 258, 53 (c. 12) καὶ ὄνειρος G; ὄρισος Gc. 288, 50 (c. 45) ἡλίον δύο γενέσθαι παῖδας] παῖδας om. G, add. Gc; ibid. αἴνην nomen quod G praebet, Gc in pristinum αἰήτην restituit.
- ibid. 55 διαφγόντων G; διαφνγόντων Gc. 290, 24 (c. 47) καταχθῆναι μὲν πρὸς τὴν Κολχίδα] κατενεχθῆναι μὲν εἰς τ. κ. G; κατενεχθ. μ. πρὸς τ. κ. Gc.
- ibid. 60 διελάμβανεν G; ὑπέλ. Gc. 292, 51 (c. 49) ἐνεκα τῶν ἵππων ἐλεῖν τὴν Τροίαν] ἐνεκα ἵππων λαβεῖν τ. τρ. G, quibus verbis addidit Gc articulum τῶν.
- 259, 64 (c. 12) τοὺς πεπτωκότας ταύρους G; τ. π. κενιαύρους Gc. 294, 46 (c. 51) δι' ἀέρος ἐξ Ὑπερβορέων] G ἐξ ἀέρος ἐ. Ὑ., quod in melius refecit Gc.
- 261, 51 (c. 15) Ζεὺς γὰρ τοὺς συναγωνισαμένους G; Ζ. γ. τ. μὲν σ. Gc. 310, 86 (c. 65) ἄφαντος] ἀφανῆς G, quod emendavit Gc.
- 261, 69 (c. 15) διαιρούμενα] διαρκούμενα G; διαρκούμενα Gc.
- ibid. 89 (c. 16) τὸ μὲν οὖν ἄλλο πλῆθος ἀντετάχθη G; post πλῆθος. add. recte Gc αὐτῶν.
- 262, 8 (c. 16) αὐτὴ δὲ ὁμόσασα παρθένος διαμένειν] αὐτ. δ. ὁ. παρθένος εἶναι G; αὐτ. δὲ ὁμ. παρθένους εἶναι Gc.
- 263, 75 (c. 18) δυνάμεσιν ἀξιολόγοις καὶ στρατηγοῖς ἀγαθοῖς] ἀγαθοῖς om. G; add. Gc.
- 264, 85 διεξιῶν δὲ τὴν τῶν Ἰβήρων χώραν] τῶν om. G; add. Gc.



- 313, 6 (c. 68) ἐτέκνωσεν] ἐτέμνωσεν Gc. τως διεληλυθότες] ἀρχούντως om. G,  
 322, 27 (c. 79) ἀποδοθῆναι] παραδοῦναι G; add. Gc.  
 παραδοθῆναι Gc. 325, 24 (c. 82) παρα τοῖς Κείοις] παρὰ τῶν  
 324, 84 (c. 81) ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων ἀρχούν- χίων G; παρὰ τοῖς χίοις Gc.

Ex hoc delectu (in quo nolui ponere omnes eos locos, quibus corrector sive articulum indidit sive supplevit particulam ut μέν, δέ) commode arbitror haec tria concludi quire. Nam primum perpaucis verbis adscriptis apparet emendationem non tam continuam et accuratam esse quam in libris bibliothecae ex codice J correctis. Tum lacunis quibusdam expletis convenienter cum libris manu scriptis quis est, qui haud credat aliquem codicem etiam in his partibus esse inspectum? Postremo perspicitur cum ex similitudine aut congruentia lectionum tum ex eo quod non subiecta sunt, quae multa in codice G requiruntur, illum librum inspectum in idem genus referendum esse manu scriptorum atque ipsum G. Velut fac cogites 313, 6 verbum ἐτέμνωσε inesse in codice Marciano M nominato. Quod si sumimus codices simillimos fuisse, una percipimus, cur raro corrector alterius alterum exemplar evolverit.

De hoc correctore codicis G me proxime a vero abesse etiam documento sunt causae extrinsecus assumptae. In his numero stellulae signum, quod correctorem in margine folii 268 apposuisse color atramenti satis ostendit. Ibi enim (lib. III. cap. 56 init.) finitur codicis J caput, cuius supra mentionem habui. Proximam variam lectionem sine dubio ex codice J derivatam hic adferre iuvat, ut sentias, qua ratione mendum librarii in maius augeatur. 224, 13 διαλλάττειν G recte] φυλλάττειν (sic) J; φυλάττειν Gc. Atque alterum codicem, quem praeter librum J corrector in manus sumpsit, parem et gemellum fuisse veteris G ex eo patet, quod et ille defecit ad vitia codicis G, quibus alii manu scripti vacant, delenda. Ni ita res se haberet, quid fuit causae, cur adscriberet corrector „fortassis“, quod duobus his locis scriptum vidi: p. 110, 24 (lib. I c. 98) λοξήν] λοβήν G; fortassis λοξήν Gc; p. 399, 19 (lib. V c. 84 init.) τὸ παλαιόν] τὸ παλαιόν; fort. τὸ παλαιόν Gc. Necessario igitur coactus est facere coniecturas neque potuit in codice G replere, quae perierunt priore quem modo commemoravi loco. Sed quonam usus sit exemplari, antequam inquiri, nunc revertatur, unde degressa est, oratio ad verum sincerumque codicem G.

Hic G quin affinitate artissime coniunctus sit et cum Laurentiano L (plutei 70 codice 16 vid. Wesselingi praefat.) et cum Marciano M (supplem. class. VII cod. 7) nemini dubium esse potest. Hanc et meam sententiam, quam aperui progr. p. 17sq., Fridericus Vogel assensione comprobavit (cfr. praef. p. XV), qui vult tres hos libros F et L et M eiusdem stirpis esse. Atque qua est subtilitate videtur acu tetigisse, nisi quod quo loco est codex F, constitutum volo Bero-linensem G. Neque tamen hac scientia contentus esse debet, qui quibus vinculis cognationis inter se libri Diodori manu scripti cohaereant indagare studet. Eius est exquirere, qua ratione illi tres copulati sint, quis sit recentissimus, quis vetustissimus, ecquis fons atque principium ceterorum. Atque primum cum viri docti iudicent librum G saeculo decimo et sexto, libros et L et M quinto decimo esse scriptos, vereor ne ille minus probabilis sit quam hi. Sed ne hic singulas persequar diversas lectiones, ut qualis sit codex G cognoscatur, in rem est locos recensere, quibus locis, ut fert hominis natura, librarius quamvis diligens narrationem verbis quibusdam praetermissis interrupit; quos aliquot sub uno conspectu hic pono.



- 16, 99 (lib. I. c. 12) τοῦτο μὲν γὰρ εὐθες ὑπάρχειν om. GLM.
- 21, 56 sq. (c. 17) μάλιστα πάντες ἄνθρωποι τοῦ δέκτι τοῦ τῆν εὐρεσιν ἀνατιθέασιν Ὀσίριδι καὶ καθιεροῦσιν αὐτὸν τούτω τῷ θεῷ om. GLM.
- 22, 99 (c. 18) παραληφθῆναι πρὸς τὴν στρατείαν· οὐ γὰρ πολεμικὸν εἶναι τὸν Ὀσίριν οὐδὲ om. G.
- 23, 44 (c. 19) μόνῳ om. G.
- 26, 47 (c. 22) δὲ τὴν om. G.
- 27, 91 (c. 23) τε καὶ τὸ γεγονός om. GLM.
- 28, 12 (c. 23) extr.) παρ' om. GLM.
- 29, 66 (c. 25) καὶ τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι om. GLM.
- 31, 36 (c. 27 med.) ταφῆναι — ὁμότης id est amplius quindecim versus om. GLM.
- 35, 74 (c. 30) τῷ δὲ βᾶθει θανμάσιος om. GLM.
- 36, 96 (c. 30) καὶ πελάζοντες om. GLM.
- 36, 6 (c. 31) ἐπὶ τὴν om. G.
- 37, 69 (c. 32) ἐν πᾶσιν om. GLM; ib. 72 μὲν ὡς om. GL.
